



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Punctum Diff. 2. Explicantur aliæ Auctoritates.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

mus est ultimus fidei scopus. Christus non est ultimus fidei scopus ex illis verbis. Ergo &c.

RESPONDETUR. Explicando illum locum, quod scilicet non neget Christus in se esse credendum; dicit enim qui credit in me: sed quod identitas naturæ faciat, quod credere in illum, sit, credere in Patrem.

## Punctum Difficultatis

tis 2.

*Explicantur alie Auctoritates.*

REstant adhuc alia loca S. Joannis, quæ adducit Crellius; sed quia ea his reliquis non adjunxit, sequendo Methodum illius in tractu non nisi refutabuntur. Itaque

OBJICIT 6. Quod Christus Marc. 13. v. 32. neget se nosse diem judicii, & tamen Deus superius nihil ignorat.

RESPONDETUR. Quod hoc dixerit Christus tanquam legatus jure secreti ligatus, de quo alibi; addit autem scire de hoc non nisi Patrem non excludendo alias personas, sed ad excludendos, qui non habent esse Divinum, attribuendo id Patri tanquam fontali origini totius Deitatis.

OBJICIT 7. Illud Matth. 20. v. 23. Ubi Christus negat esse in sua potestate dare sessionem ad dextram, vel sinistram.

RESPONDETUR. Hunc locum non aliud velle, nisi quod contra Patris voluntatem sibi cum illo communem non possit dare sessionem quod etiam Græcus textus innuit. Et certè si petentibus in nomine suo omnia facere potest, si judicium illi traditum est à Patre, quomodo non habebit jus etiam illud dandi loci?

OBJICIT 3. ex Matth. 19. v. 17. Ubi Christus appellatus bonus, corrigit appellentem; *Nemo bonus nisi unus Deus.*

RESPONDETUR. Hoc loco revocasse Christum se ad altius noscendum, & non sistendo in eo quod videbant doctrinæ titulo, sed ut se agnoscerent etiam Deum. Quod autem affert Christum nullibi dixisse se esse Deum, sed Filium Dei, id se involvit, quia hoc ipso quod dixerit se esse Filium Dei, & quidem sine addito, & quidem exigendo in hoc fidem, ut fecit cum cæco nato, hoc ipso æquivalenter dixit se esse Deum, sicut Filius hominis, est homo. Non obstat quod istam rem breviter semper expedierit Christus, quia mysterii difficultas posterioribus seculis propaganda, id non patiebatur. Unde ulterius falsum est confecisse Christum hoc argumentum; *Nemo est bonus nisi summus Deus, ego non sum Deus, &c.* Nego enim hoc argumentum à Christo fuisse factum, nec id probat Crellius; imò dubium est, an non hæc argumentatio esset ex puris negativis.

OBJICIT 9. Ex illo Lucæ 22. v. 42. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, si autem Christus esset Deus, esset una illius cum Patre voluntas

RESPONDETUR. Id Christum dixisse, secundum quod est homo, idque secundum inferiorem partem.

INSTAT 1. præter superius allata. Impossibile est ut in Christo eodem tempore contrariæ de eadem referent voluntates.

RESPONDETUR. Unam efficacem qualis fuit moriendi, & aliam inefficacem qualis fuit excusandi se à morte voluntatem quid vetat secum stare?

INSTAT 2. Exinde sequi; in Christo duplicem esse etiam personam, quia necesse est Christum hæc dixisse prout persona est. Unde necesse est id dixisse Christum vel secundum quod est una ex Trinitate persona, vel est necesse agnoscere humanam illius naturam secundum quam habebat illam voluntatem, personam esse.

RESPONDETUR. Christum hæc dixisse prout persona est, non tanquam principium elicivum illius, sed terminando naturam humanam elicientem illam volitionem: non enim Actiones sunt suppositorum elicitive. Unde dicit id quidem Christus, prout est una ex Trinitate persona, non quomodocunque, sed terminans naturam humanam, quæ elicibat illum actum. Unde jam non erit necesse agnoscere personam humanam in Christo, sed naturam humanam terminatam illâ personalitate.

INSTAT 3. Hic Filius non se revocat ad voluntatem Dei, sed ad voluntatem Patris.

RESPONDETUR. Id fieri ideò quia Pater est fontalis origo Deitatis. Unde non est hic oppositio inter voluntates personarum quæ personæ sunt, sed quæ voluntates sunt, elicite à duabus naturis.

OBJICIT 10. Ex illo ad Hebr. 5. v. 5. Ubi dicitur Christus seipsum non clarificasse.

RESPONDETUR. Id intelligi de natura humana, vel de clarificatione per communicationem essentiae, quam à Patre habet, non à se.

INSTAT Idem. Probatque hunc locum accipi debere de Christo prout Filius Dei est: quia illa verba Psal. 2. non ideò citat Paulus, ut describat glorificantem, sed ut doceat, à Deo Christum factum esse Pontificem, & ut ostendat etiam priorem illum locum, qui de generatione ejus agit, de eodem sacerdotio loqui.

RESPONDETUR. Duplex fuisse intentum Christi, imprimis probare quod sit Filius Dei, qui glorificationem non à se, sed per communicationem essentiae accepit, & ad hoc probandum usurpavit locum; *Filius meus es tu.* Deinde probare voluit se assumptis naturam humanam quæ à se terminata coleret Patrem, & ad hoc pro-

probandum assumitur ille locus; *Tu es Sacerdos.* Alia quæ adfert, jam sunt refutata.

OBJICIT II. Ex illo Joannis 14. *Pater major me est.* Deo autem vero nemo major.

RESPONDETUR aliqui ex nostris Patribus, quos recitat Maldonatus hic & Petavius L. 2. c. 2. n. 2. Patrem esse majorem Filio in ratione principii, seu ut Græci loquuntur causæ Filii; Talis est. Athan. Hilar. Epiph. Gregor. Nazian. Cæsarius, Cyrill. Damasc. Leont. Chrysost. Theoph. Euthym. imò & August. Lib. de Fide & Symb. c. 9. dicit hoc esse verum, *Partim, inquit, propter admirationem suscepti hominis, partim propterea quia Filius Patri debet quod est, Pater autem nulli debet quidquid est.* In defensionem hujus responsionis recidet, si dicas Patrem majorem esse Filio in ratione denominationis Patris, non in ratione entitatis naturæ, &c. pro quo citari potest Epist. Synodica Concil. Sardicenis, quam integram descripsit Theodoretus apud citatum Petavium. *Nemo negat Patrem esse majorem esse non ob aliam hypostasin, nec ob aliam differentiam, sed quia nomen Patris, ipsum majus est nomine Filii.* Neque valet quod dicit Crellius, hoc non posse ita accipi, quia eo loco Christus reddit responsionem, cur deberent credere Apostoli quòd ille ascendat ad Patrem, quibus etiam verbis significat exinde sibi aliquid accessurum boni, ubi ad Patrem abiit: quid verò id ad rem facit, quòd Pater eatenus sit major Christo, quatenus est Deitatis Personæ inquam valet quod dicit, quia significando Christus excellentiam Patris commendat locum ad quem præcedit, tanquam locum ubi Pater manifestat suam gloriam, cujus tanta est majestas, ut etiam sibi præcellat in ratione fontalis Deitatis, & in denominatione Patris: summare domum Patris, & quidem tam excellentis appetibile est, licet ille abitus secundum esse Divinum, non nisi figuratè accipi possit, quod non infrequens est in Scripturis. Cæ-

terum.

RESPONDETUR. Ex communiore sententia DD. hæc verba accipienda esse de humanitate Christi.

INSTAT Crellius. Multa ex dictis jam supra repetendo, ad quæ jam responsum est. Repe-  
tetur etiam illud principium. Quod de toto ali-  
quo affirmari potest ratione alicujus, non potest  
de eodem simpliciter negari & è converso. Sed  
jam dictum est id quod simpliciter de aliquo af-  
firmari potest, de eodem negari potest si sit to-  
tum, illud hypostaticum constans duabus com-  
pletis naturis; quia utraque habet jus fundandi  
prædicationes simpliciter, tam affirmativas,  
quam negativas, cur enim una natura alteri præ-  
cipere vim fundandi tales prædicationes? De-  
inde ut jam etiam dictum est, non negat id sim-  
pliciter Christus, quòd sit inæqualis Patri, sed

cum non explicito, implicito tamen addito, se-  
cundum naturam humanam.

OBJICIT 12. Ex illo ad Rom. 8. v. 3. Ubi  
Christus dicitur esse missus, & ad Galat. 4. v. 4.  
Dei autem supremi est mittere non mitti.

RESPONDETUR. Missionem in Divinis es-  
se duplicem, quandam per communicationem  
naturæ, unà cum productione personæ, qua ra-  
tione emittit, ex se radix florem, fons rivulum.  
Alia est Missio temporanea, quæ est obire offi-  
cium Legati, Prædicatoris, &c. Prior illa mis-  
sio convenit vero Deo, etiam sub formalitate  
Divina, posterior autem non potest convenire  
nisi ratione naturæ Creatæ, elicientis illas actio-  
nes. Et quamvis mitti etiam secundo modo  
non nisi est personæ, id verum est, non ratione  
personæ, sed ratione naturæ, quantumvis ter-  
minatæ personæ, complente principium illud,  
eliciens actiones Legati, prædicatoris, &c. Et  
licet missio illa temporanea à tota Trinitate fi-  
at, tribuitur tamen specialiter Patri, tanquam  
fontali origini totius Deitatis.

INSTAT 1. Si par à pari mitti potest, nihil  
prohibebit quo minus etiam Pater à Filio, &  
Spiritu S. mittatur, quod non concedetur.

RESPONDETUR. Missionem æterna mitti  
non potest; quia hoc ipso non esset fontalis origo  
Deitatis, bene tamen ex communi decreto to-  
tius Trinitatis posset persona Patris terminare  
naturam creatam, nec mittetur tunc rigorose  
loquendo persona, per missionem intelligendo  
productionem, sed mittetur si per missionem  
intelligatur unio substantialis, communi-  
catioque idiomatum, facta ex vi decreti Tri-  
nitatis.

INSTAT 2. Absurdum est dicere, ut Deus  
ab Angelis dicatur mitti, precibus eorum adduc-  
tus, ergo etiam Christus Patri per omnia æqua-  
lis, non potest dici ab eodem missus.

RESPONDETUR. Missionem æternam per  
communicationem essentiae non posse facere  
Angelum; Missio etiam temporanea non po-  
test ab illis fieri, qui non possunt delegare pote-  
statem, quam qui delegant Angeli Deo, vel po-  
tius naturæ terminatæ persona Divina.

OBJICIT 13. Ex Joannis 10. v. 18. Ex ejus-  
dem cap. 12. v. 49. & c. 14. v. 31. Ubi Christus  
agnoscit mandari sibi aliquid à Patre; cum ta-  
men Deo summo nihil mandari possit.

RESPONSUM suprà hæc omnia de natura  
humana intelligi; quo etiam modo explicatur,  
qui Christus oraverit ad Patrem; cur autem po-  
tius ad illum direxerit orationem? Ratio est,  
quia ille est fontalis origo Deitatis.

OBJICIT 14. Loca in quibus agnoscit Fi-  
lius sibi aliquid datum à Patre, qualia etiam ha-  
bentur in Apoc. sub initium & c. 2. Circa finem.  
& c. 3. v. 21. Ergo Christus non est summus De-  
us, quia Deo summo nemo quidquam largiri  
potest.

RESPON-

RESPONDETUR. Hanc dationem esse duplicem, quandam æternam, quæ est per communicationem essentia, & aliam temporaneam, ratione collatorum donorum humanitati. In plerisque etiam locis significatur, quod ex gratia, huic humanitati, data sit unio hypostatica.

INSTAT 1. Omisiss aliis, quæ nostrum responsum non concernunt, Deo supremo nemo quidquam tradere potest aliis posset etiam Pater dicere; *Ego dispono vobis regnum, quemadmodum mihi disposuit Filius.*

RESPONDETUR. Missionem æternam Patris à Filio nullam posse esse. Unde non potest dicere quod à Filio acceperit Pater, ut haberet vitam in semetipso, licet posset bene Pater incarnatus secundum naturam humanam agnoscere excellentiam Filii, præ se; non tamen poterat easdem omnes usurpare locutiones, quia ipse est fontalis origo Deitatis. Sustineri etiam potest aliorum responsio, quod dederit Pater Filio solam manifestationem dignitatis ab æterno communicatam.

INSTAT 2. Urgendo illum locum; *Clarificavit me Pater apud semetipsum*, ubi opponit hanc clarificationem clarificationi apud homines.

RESPONDETUR. Non plus Christum vellet, quam ut sua humanitas gloriæ illius & quietis communicationem habeat, quam meretur sua persona ab æterno producta.

INSTAT 3. Ex illo Act. 2. Ubi Deus dicitur, Jesum fecisse Dominum & Christum.

RESPONDETUR. Hæc verba bene explicari posse de gratia unionis hypostaticæ, gratiosè humanitati collatæ. Unde illam potestatem eo sensu non habuit semper Christus. Porro ipsa potestas judicandi, potest dupliciter in Christo considerari; Inprimis quæ communicata est cum essentia, & ista non excludit potestatem judicandi; cum eadem realissimè sit cum potestate Patris. Deinde potest considerari in humanitate Christi hæc potestas communicata per assumptionem, quæ non excludit quidem Dei tanquam principalis Judicis potestatem, sed includit etiam humanitati collatam, non quomodocunque spectatæ, sed terminatæ à Verbo. Illud etiam quod urget inferius, æ quo jure debere dici, quod etiam Filius id sibi dederit, & tamen inter dantem personam, & eam cui datur, debet esse distinctio. Et certè quis dicat Filium Dei Christum glorificasse? id enim Nestorianismum redolet. Ad quod facile in principis Catholicis respondetur, inter dantem, & eum cui datur, sufficere distinctionem naturarum, licet utriusque eadem sit persona; ita ut & dans, & accipiens sit persona, licet non ratione præcisè personæ accipiat.

INSTAT 4. Ex illo Act. 2. Qui ab alio Dominus est factus, is etiam Deus est ab illo factus est: quod pluribus probat. Atqui Jesus est

à Deo factus Dominus, propter locum citatum. Ergo, &c.

RESPONDETUR. Hunc locum ita esse intelligendum, ut dicat humanitatem Christi habere sibi collatum dominium titulo unionis.

INSTAT 5. Cui datum est, ut Divino cultu afficiatur, ei etiam Deitas ipsa data est; Christo autem donatum est nomen super omne nomen.

RESPONDETUR. Ratio nominis per communicationem essentia non officiet Deitati; datio autem nominis per modum liberalis collationis non nisi humanitati convenit.

OBJICIT 15. Ex illo Joannis 8. v. 16. *Judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*, quibus verbis indicat Christus, si ipse esset solus nec Pater illi adesset, fieri posset, ut in judicio erraret, & tamen si Christus ille summus Deus esset, non minùs ejus judicium verum fuisset, quam si solus judicaret: an ii quibuscum loquebatur Christus, ita erant stupidi ut si intellexissent Christum esse summum Deum, non statim fuissent fastidi ejus judicium esse verissimum?

RESPONDETUR. Inprimis negando sequi ex dictâ sententiâ intentum Crellii; nam cum dico; Ego & Paulus idem sentimus non sequitur me agnoscere, quod mea sententia sit falsa, sed ostenditur concordia judicandi. Deinde hic ipse locus bene de humanitate Christi accipit potest, præferente judicium Patris, suo, quod Pater approbat. Quod autem Judæi non sint fasti Christi judicium fuisse verissimum, non stupiditas effecit, sed malitia; quia illum Deum agnoscere volebant.

OBJICIT 16. Ex illo Joan. 8. v. 14. *Verum est testimonium meum quia scio unde veni, & quo vado.* Si autem Christus fuisset ille Deus summus, non hanc rationem attulisset, sed quia est ipse Deus summus.

RESPONDETUR. Etiam in communi usurpatione humana, dici solet; Scio quis sim ego, non nominando quis sit; & tamen hoc non præjudicat, quo minùs censeat se esse talem vel talem: ita nec in præsentī Christus negat se esse summum Deum, sed tantum affirmat ex eo quod sciat quis sit, præbendum esse sibi assensum fidei, quod ipsum Divinitatem notat. Et possumus nec præscribere certas leges loquendi Christo, si illæ supponantur esse Christi locutiones. Quando autem Christus dicit se egressum de cælo, & rediturum in cælum, id figuratè accipiendum est de persona, sicut figuratè dicitur, descendisse Deus ut videret, &c. Potest etiam id recte accipi de humanitate Christi censente sibi credendum, eò quod noscat dignitatem personæ, suam naturam terminantis. Locutio in quibus Pater appellatur Deus Christi, ut etiam habetur ad Ephes. 1. v. 17. accipienda sunt de humanitate Christi; vel sub hoc titulo, quia Pater est fons seu origo Deitatis.

Pun.